

ditas politicae Municipalis Regnum horum consistentiae et justitia postulatorum nostrorum, in quavis occurrente quaestionis alicujus pertractatione, cum perfectissima impartialitate et aequitatis studio, fuerint recognita, quodve hac ratione nos, ubi secus repraesentantes nostri spectata numeri ipsorum exiguitate impares fuissent, se contra tam magnum reliquorum Statuum et Ordinum Diaetraliter congregatorum, praepondium sustinendo, sub Aegide sublimiorum horum Intelligentiarum versati, inter consumatissimos Regni Hungariae Primores tales nacti fuerimus defensores, qui justam Causam nostram cum omni Zeli fervore optimo que etiam cum successu evicerunt.

Praecipuos ex his summo cum honore nominare obstringor: Excellentissimos viros Dominos quippe Dioecesanos, Liberum Baronem Ignatum Szepessy Quinque-Ecclesiensem, et Josephum Kopacsy Vesprimensem Episcopos, item Comites Fidelem Palfy tunc temporis Tavernicum, jam vero desideratissimum Cancellarium Regium hungarico Aulicum; — atque Joannem Keglevich, Comitatus Barsiensis Supremum Comitem. — Sunt hi vere Amici et fautores nostri, quorum gratissimam memoriam nos in aeternum conservare oportet.

Ad felix negotiorum nostrorum resultatum procul dubio non parum contributum indefessa opera et constans perseverantia Dominorum Regni Ablegatorum, qui non obstante situationis suae difficultate, ad quam multocies conjiciebantur et in qua etiam personalibus, summe ingratis collisionibus involvebantur, nunquam tamen ab animi firmitate et moderamine, quae iisdem pro norma comportationis praestituta fuere, se vel latum unguem dimoveri passi sunt, quapropter etiam jure sibi demeruerunt meam atque totius Patriae perennem gratitudinem.

Omni vero laudum encomio maiores esse judico: Excellentissimos atque Illustrissimos viros, Dominos Compulares nostros, tam illos, quos hic praesentes veneramus, quam etiam absentes. — Hi nullo non tempore sapientissime res nostras moderati sunt, partim vero eas suis locis efficaciter commendare, denique Dominos Regni Ablegatos suppletorie instruere, animare, fovereque, non destiterunt, — summum, quod tantis meritis inest pretium, sentire magis, ac digne verbis exprimere fas est. — Sentimus profecto id intime, quod ipsum et grata posteritas fatebitur.

Quod itaque reliquum est Inlyti DD. SS. et OO. eadem animi tranquillitate et moderatione, qua dignitati Nationis conformiter nuper in Regni Comitiis avita Jura nostra Municipalia propugnavimus, eorundemque ulteriorem permanationem evicimus, consultemus etiam nunc sua serie super illis objectis, quae jam praevie in Invitatoriis meis uberius designandi honorem habui. — Vitemus, in vero Patriae amore oro obtestorque omnes et singulos, vitemus inquam sollicite, quidquid ingratis discussionibus et perturbationi vigentis inter integrantes Regnum horum partes harmoniae ansam dare posset. — Simus memores triti illius in historia Orbis Axiomatis: Concordia res parvae crescunt, discordia magnae dilabuntur — Matura consideratio illius, quod nos tria Regna praesentemus, debet quosvis secundos et partiales respectus dimovere. Salus Patriae Suprema Lex esto. — Etsi tenua videantur esse Regna haec in comparatione cum reliquo Corpore Monarchiae Austriacae, eo non obstante possumus jure gloriari Nationalitate nostra, si ea, uti hactenus, ita deinceps quoque nos dignos exhibuerimus. Habemus sub oculis exemplum, quod pectora nostra vivide penetrare debet, unius partis Compularium Nostrorum videlicet Confiniariorum, qui seu